



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

X. De Voto manifestandi dignitatem aliquam procurantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

ipsum tanquam proprium præceptum, sed per modum simplicis regulæ; neque hanc obligationem, seu constitutionem esse speciali voto confirmatam: & idem est de Societate, respectu Generalis. Posset ergo contingere, ut Generalis, aut Societas indebitè utendo potestate sua, vel ex aliqua Epicheia, talem facultatem daret, sine præcepto Pontificis: illa ergo non obstante, obligabitur professus ad non acceptandam dignitatem (quanquam si acceptaret valeret electio) donec præcipiatur: quæ obligatio in scholari approbato non inuenitur, quia nascitur ex voto speciali, quod scholares non emittunt.

CAPVT X.

De voto manifestandi procurantes dignitatem, quod inter alia a premissis Societatis emittitur.

I.
Videri vult
hoc proce-
dere solum
de dignita-
tibus intra
Societ.

VT ambitio dignitatum, & Prælationum, tam intra Societatem, quam extra illam, nullum in eadem, quoad fieri posset, locum haberent, non fuit contentus B. Ignatius professos speciali voto obligare ad eas non procurandas, sed etiam addidit votum, quo promitterent manifestare hoc Societati, quemcumque in hoc peccare intelligerent. Verba constitutionum p. 10. §. 6. hæc sunt. Omnes professi se nihil unquam ad eam (id est, dignitatem obtinendam) acturos, & quos agere animaduertent delaturos Deo, ac Domino nostro voueant. Circa quem locum aduertendum occurrit, ex vi illius, solum videri præcipi, ut hoc votum fiat de dignitatibus, & prælationibus Societatis. Nam verba proximè præcedentia sic habent. Erunt summi momenti, ut perpetuo felix Societatis status conseruetur, diligentissime ambitionem subinuenere, ac aditum ad dignitatem, vel prælationem vllam directè vel indirectè, querendam in Societate præcludere, & proximè subduntur verba illa citata, omnes professi, &c. Ex quo contextu planè constat, illud relatum ad eam obtinendam, referre solum dignitatē, & prælationem in Societate. Item, quia de alijs extra Societatem, statim subditur, Promittant etiam ad nullam extra Societatem prælationem, vel dignitatem se quicquam acturos. De deferendis autem prætenforibus harum dignitatum, nihil subiungitur. Nec dici potest, hæc posteriora verba intelligenda esse iuxta priora, quia hoc nullum habet in contextu fundamentum, & materiæ sunt omnino diuerse, sicut è conuerso in posteriori clausula additur promissio non acceptandi dignitatem extra Societatem nisi præcepto cogantur, quod, quia in priori additum non fuit, ad dignitates intra Societatem non extenditur, ut supra cap. 8. n. 2. vidimus, ergo similiter, &c.

II.
Opp. si sum
resoluitur.

Nihilominus praxis Societatis habet ut de vtrisque dignitatibus hoc votum fiat. Nam post duo vota non procurandi prælationem, aut dignitatem intra, vel extra Societatem additur, Tum si quem sciam aliquid prædictorum duorum curare, vel pretendere, promitto illum remque totam me manifestaturum Societati, vel Præposito eius. Vnde non est dubium, quin hoc votum obliget in vtroque genere dignitatum, siue illud fiat ex vi prædictæ constitutionis: siue (quod mihi propter argumentum num. præcedenti factum probabile est) illa fuerit extensio quædam à tertia generali congregatione facta, cuius auctoritate decreto 46. forma vouendi à prima congregatione iam præscripta decreto 102. ita extensa est, nam ad hoc potestatem habet congregatio generalis, & fortasse cum illi 3. congregationi interfuerint, multi ex Patribus, qui & intentionem B. P. Ignatii, & vsum Societatis à principio cognouerunt, hanc eius fuisse mentem declararunt, licet illis verbis constitutionis satis explicata non fuerit.

Hoc igitur voto supposito, tria sicut in præcedenti, p. 10. cap. circa illud declaranda occurrunt, vtilitas, materia, & obligatio.

De vtilitate huius voti.

Circa vtilitatem ratio dubitandi esse potest, quia vel hoc intelligitur de deterendo crimine alterius, vel quando ad commune bonum Societatis est necessarium, & potest cum fructu fieri, vel absolute, & sine limitatione, ut verba sonant. Priori modo votum est parum vtile, quia tunc ipsa ratio charitatis obligat, & sufficit inter viros religiosos, neque oportet laqueos addere, posteriori autem modo, votum esset iniquum, quia sine necessitate, & fructu boni communis non est proximus infamandus. Nihilominus dicendum est, votum hoc, & sanctum & vtile esse Societati. Quod auctoritate sufficienter probatur ex approbatione summorum Pontificum, vel generali, ut à Paulo III. & Julio III. confirmantibus institutum, & approbantibus constitutiones, vel speciali, ut à Gregorio XIII. in constitutione, Ascendente Domino, ex qua etiam colligitur, hoc votum cadere in vtrasque dignitates, nam post vota non præcedendi dignitatem intra, aut extra Societatem subditur, Item Societati, vel eius Præposito manifestaturos, si quem sciant aliquid huiusmodi molari.

Ratio autem quoad honestatem huius voti clara est, quia deferre ad superiorem peccatum subditum, maxime quando vergit in commune detrimentum, per se, & ex obiecto bonum est dummodo debito line, & circumstantijs vestitur. Sic Christus dixit Matth. 18. Dic Ecclesiæ, votum autem hoc, quantum simpliciter, & absolute fiat, intelligendum est de reuelatione iusta, & charitati consentanea, ut in simili dixit Syluest. ver. b. Denuntiatio. quæst. 5. quod explicare non fuit necesse, quia, & ex materia, & ex ratione voti erat satis manifestum, nam certum est hoc genus delicti multum posse nocere Societati. Certum etiam est hoc nocumentum maius futurum, si tale delictum à scientibus occultetur: nam & timor poenarum, & prouidentia superiorum multum iuuare potest, ut illud non serpat, neque effectum habeat. Est ergo per se bonum, ac moraliter necessarium ad commune bonum Societatis ut superioribus manifestetur: ergo hoc etiam vouere honestum est.

Quod verò etiam vtile sit, declaratur, tum quia licet charitas possit per se ad hoc obligare, tamen peculiaris obligatio religionis ex voto, & est magis clara, & expressa, & multum solet mouere conscientiam religiosorum etiam, quia hoc votum non tantum obligat, supposita alia obligatione charitatis, sed absolute, quoties id potest honestè fieri, etiam si alias non esset præceptum. Sape enim accidere potest, ut reuelare peccatum fratris superiori, possit honestè fieri, non tamen sit sub præcepto, quia præcepta affirmatiua non obligant pro semper, etiam supposita honestate actus, nisi intercedat sufficiens necessitas: hæc enim separabilis est ab honestate, etiam in præsentia materia. Nam ad honestatem sufficit aliqua vtilitas, quæ tamen non semper satis est ad præcepti obligationem, si ergo quis obligetur ex voto ad subueniendum hoc remedio Societati, non solum quando necessitas charitatis cogit, sed etiam quando vtilitas maioris boni suadet, & honestat actum, in magnam profectò vtilitatem religionis cedet tale votum. Ita ergo est in præsentia voto, ut amplius ex illius declaratione constabit.

De materia eiusdem voti.

Circa materiam erga huius voti distinguere potest remota, & proxima. Remota est peccatum ambitionis

*in materia re-
moti per 3.
quasi iunc.
prima respo-
luta.*

tionis in procuranda dignitate, intra, vel extra So-
cietatem. Proxima est manifestatio illius peccati.
Circa priorē inquiri potest primò, qualis, & quanta
futura sit hæc ambitio, vt sit materia huius voti, sed
in hoc, regula de sumi potest ex dictis suprà in cap. 7.
vsque ad num. 12. circa votum non ambiendi di-
gnitates: ibi enim declarauimus quid sufficiat ad
violandum grauius illud votum, illa ergo ambi-
tio, quæ fuerit peccatum mortale contra votum il-
lud, est materia sufficiens in suo ordine ad huius
voti obligationem; nullo enim certiori modo po-
test hæc materia designari. Quod etiam ex verbis
constitutionis satis colligitur, quæ sic habent. *Pro-
mittant se nihil vnquam ad eam obtinendam aduersus, & quos
agere animaduertent delaturos.* Eadem ergo actio, quæ
cauenda promittitur, deferenda vouetur, si in alio
animaduertatur.

VII.
2. quasi iunc.

Quæri verò subinde potest, an oporteat tale pec-
catum in altero esse contra sumum votum, vt sit ma-
teria huius voti; quod est quærere, an hoc voti obli-
get ad manifestandum iudicialiter illud peccatum
cõmissum à quocunq; religioso Societatis (nam de
fraterna manifestatione res videtur clara, vt lib. 10.
c. 9. cõstat) vel solùm ab eo, qui ex voto speciali il-
lud cauere tenetur. Potest enim etiam scholaris ap-
probari in hoc delinquere, vt ex dictis in c. præced.
n. 19. intelligi potest, quauis nullum votum de hac
re fecerit: tenebiturne ergo professus Societatis, ex
vi huius voti, illud manifestare? Respondeo mea sen-
tentia non teneri. Nam licet in forma vouendi di-
catur, *si quem sciunt: & in constitutione, & quos agere
animaduertent*: tamen ex subiecta materia, & ex cõ-
textu cõstat, illa relata eos tantum referre, qui ex
voto ad delictum illud cauendū obligantur. Ratio
verò esse potest, quia licet Societati maximè expē-
diat, vt omnes, qui quocunque modo, sunt mem-
bra eius, omnem ambitionem euitent: nihilominus
non omnes ad votum de hac re emittendum obli-
gantur, sed sufficienter in hac parte prouisum cre-
ditur Societati, si præcipua membra eius, quæ iam
sunt cum illa (vt sic dicam) vltimatè coniuncta, hoc
vinculo obligentur: cum in illis magis timeri posset
hoc vitium, quia futuri sunt digniores, & ad huius-
modi munera aptiores, & propinquiores. Sic ergo
sufficiens visum est, si votum manifestandi hoc
delictum solùm in ordine ad easdem personas fiat.
Item sicut scholares approbati nō tenentur ex spe-
ciali voto deferre professum, etiam si illum in hoc
peccare animaduertant, sed solùm ex communi re-
gula, & lege charitatis: ita neq; è contrario professi
tenentur ex suo voto ad manifestandum hoc deli-
ctum iudicialiter, etiam si in scholari illud animadu-
uertant, sed solùm ex eadem regula, & lege charita-
tis. Tandē potest etiam circa hanc partem inquiri,
an peccatum hoc debeat esse publicum, vel occultum
sufficiat: item an certum, vel etiam dubium.
Sed hæc tractabuntur commodiùs explicando o-
bigationem huius voti in 3. puncto.

VIII.
*Materia
prima du-
plex. Et de
quantā pro-
cedat votū.*

Circa alteram partem materiæ, quam proximam
appello, dubitari potest de qua manifestationē, seu
denuntiationē, in ea sit sermo. Duplex enim esse po-
test denuntiatio, quantū ad præsens spectat: vna iud-
icialis, quæ ordinatur ad punitionem delicti iam
cõmissi, & consequenter ad vitanda similia, non so-
lùm in ipso, qui denunciatur, sed etiam in alijs. Alia
paterna, seu fraterna appellatur, quæ ordinatur præ-
cipuè ad emendationem in futurū, vel propter spi-
ritualē salutē ipsius delinquentis, vel præcipuè
propter bonum alicuius communitatis, cui graue
detrimentum ex tali delicto probabiliter timeretur.
Dubitari ergo potest, de qua istarum denuntiatio-
num intelligendum sit hoc votum, nam ipsum in-
differentiter sit; & tamen ad executionem eius mul-
tum refert, an vno vel alio modo facienda sit de-

nuntiatio. Quia si votum solùm obligat ad denun-
tiationē paternā, nō tenebitur quis iudicialiter de-
nunciare, & consequenter nō poterit Prælati So-
cietatis ad punitionem delicti procedere cuius op-
positū constitutio supponit, poenā inhabilitatis im-
ponens propter hoc delictum; nec sine causa, quia
aliās non esset illud sufficiens remedium ad cohi-
bendum hoc delictum. Item quia aliās seruandus
esset in hac denuntiatione ordo correctionis fra-
ternæ, & admonendus esset prius delinquens, si esset
spes emendandi, vel si esset emendatus, non esset
facienda: quæ omnia videntur esse contra finē, & in-
tentionem huius voti, quæ fuit efficacius remediū
adhibere, vt nemo auderet vitium hoc in Societate
introducere. Quod si propter hæc dicamus, votum
hoc intelligi de denuntiatione iudiciali, sequitur,
neminem obligari ad exequendum hoc votum, nisi
quando potuerit probare delictum, quia iudicialis
denuntiatio non potest licitè aliter fieri, nam esset
fini improporionata, & per illam infameretur pro-
ximus sine fructu, & daretur occasio faciendi simi-
les iniurias proximo. Illud autem consequens vi-
detur etiam nimium enervare vim huius voti, &
efficaciā huius remediij. Posset enim hoc delictum
serpere in Societate, & multum illi nocere; prius-
quā esset probabile in iudicio.

Ad hanc dubitationem breuiter dicendum est,
materiam huius voti præcisè, & indefinitè, esse ac-
cipiendam prout verba sonant de manifestatione
facienda Præposito, eo modo quo licitè fieri potue-
rit. Cum enim votum indistinctè fiat, non possum⁹
nos illud limitare circa id, quod materia voti in-
trinsecè postulat: hoc autem solum est, vt actio ho-
nestè, & vtiliter fiat. Quocirca, quando circumstatiæ
non iuuant, vt denunciatio iudicialis fieri possit,
paterna autem, seu fraterna, aut quocunq; alio no-
mine vocetur delatio alia ad superiorē, commodè,
& vtiliter fieri possit, illa erit sufficiens materia huius
voti, quia per illā satis expletur, quia solùm, seu
indistinctè promissa est manifestatio superiori: vn-
de non est dubiū, quin ad illā faciendā tunc obliget
hoc votū. Si autē iudicialis denunciatio commodè
fieri possit, etiam poterit fieri licitè, constatque suf-
ficientem esse ad hoc votum explendum. Existimo
autem immediatè non cadere sub obligationem
eius, quia plus inuoluit, quā promissum sit. Sem-
per ergo satisfiet voto huic simpliciter manifestan-
do rem superiori, qui iudicabit an debeat procedi
ad denuntiationem iudicalem, poteritq; obligare
subditum, vt illam faciat si expedire censuerit, si
non in virtute huius voti, saltem in virtute obe-
dientiæ, quod satis est. Ad difficultates autem po-
sitas respondere nunc non est necesse, quia neutram
partem admittim⁹ tanquam definitè necessariam,
in quo sensu illæ procedunt, & ideo non sequun-
tur. Quid autem dicendū sit de nonnullis casibus,
qui ibi tanguntur, in sequenti puncto attingemus.

IX.
*Authentica
solutio.*

*Quid ad
difficultates
in præced.*

*Quando & quibus circumstantijs hoc votum
obliget.*

Circa obligationem ergo huius voti, quia affir-
mativa est, explicare oportet quando, & cum quib⁹
circumstantijs obliget; est enim hæc obligatio quasi
præcepti affirmatiui, cuius natura est, vt non obli-
get pro semper, sed tempore opportuno, & cum de-
bitis circumstantijs. Primò ergo dubitari potest, quæ,
& quanta notitia de delicto alterius requiratur in
habente hoc votum, vt obligetur ad manifestandū
illud superiori. Videtur enim qualibet probabilis
coniectura, vel suspicio sufficere, saltem vt in eodē
gradu, & sine maiori exaggeratione aperiatur supe-
riori. Quia talis manifestatio tunc etiā est consenta-
neā fini huius voti, nam potest esse vtilis ad impe-
diendum

X.
*Quæsiunc.
cum qua
notitia de-
licto obliget
hoc votum.*

diendum maius malum, vel tollendam suspitionem, si fundamentum non habuerit. Videtur etiam consentanea verbis constitutionis: nam in 10. p. §. 6. dicitur, quos animaduertunt, quod verbum generalem significationem habet, complectentem omnem illum modum cognitionum. Vnde in 8. p. cap. 6. §. 2. in declarat. A. hic casus distinguitur quoad modum punitionis quando de illo satis constat, vel solum est suspicio probabilis, aut non satis probata. Vnde videtur supponi in omnibus his casibus esse manifestandum.

XI.

*Resolutio
oblatio
lumen cum no-
titia est.*

In hoc dubio tractari potest quid sit in obligatione, vel quid liceat, aut expediat. Quoad priorem existimo votum hoc non obligare, nisi supposita certitudine delicti. Probatur ex forma vouendi, Si quem sciam, &c. quod verbum retinetur etiam in constitutione, Ascendente Domino. Est autem fumentum in ea proprietate, in qua saltem communi modo loquendi usurpatur. nullus autem prudens dicit se scire, nisi quae morali saltem certitudine nouit. licet enim non oporteat interpretari illud verbum in dialectico rigore, saltem moralis, & iuridica proprietate retinenda est: iuridice autem nullus dicitur scire, nisi qui moralem certitudinem de re habet. Vnde glossa in l. 2. §. 2. antepenult. ff. de aqua pluuiali arcenda, dixit, scire esse veritatem visu perceptam in mente retinere: ubi per visum intelligit quamcunque experimentalem rei cognitionem. Sic enim Bartolus dixit, per visum intellexisse omnem sensum in l. 1. ff. de interrogatorijs actionibus, quam refert Nauar. in cap. si quis autem, de poenit. d. 7. num. 9. qui addit per visum etiam intelligi posse puram intellectualem cognitionem, sed non est necesse, quia agimus de scientia humana, & practica.

XII.

Qua certitudo requiritur.

Addo verò ad scientiam, de qua agimus, non oportere rem esse visam, aut proprio experimento cognitam, nam si certa humana fides, per testimonia fide digna, de illa habeatur, satis erit, nam haec sufficit ad moralem certitudinem. Vnde Innocentius in cap. cum in causa de iuramento calumniae, iuramentum de veritate dicenda quam quis sciuit, non solum esse posse de his, quae quis vidit, sed etiam de his, quae indubitanter credit, non solum fide diuina, sed etiam humana. Consentit Felinus referens plures alios in cap. 1. de summa Trinit. & fid. cathol. ubi specialiter notandum est, quod cum Dominico, & alijs dicit, posse aliquem dicere pro certo scire, quod ab vno fide digno tanquam certum accepit. Quod etiam significat Nauar. in cap. inter verba, concl. 6. Corol. 66. num. 389. qui etiam allegant glossam in l. si quis extraneus. §. sciendum, alias si quis. ff. de acquirenda hereditate, & in l. Titio fundus. ff. de condit. & demonstrat. Sed illa parum, aut nihil ad rem praesentem dicunt. Denique addit Nauarrus hanc moralem certitudinem sufficere, ut subditus teneatur manifestare delictum Praelato interroganti, an illud sciat, siue per generalem, siue per particularem inquisitionem: sic ergo in praesenti sufficit similis certitudo, ut votum obliget ad manifestationem. Ratio autem est, quia tunc subest materia huius voti in omni proprietate verborum si moraliter accipiantur, ut re vera sumenda sunt: subest etiam ratio sufficiens boni communis, per medium ordinatum, quia per illam manifestationem potest facile praeniri ad exactam cognitionem delicti, maxime si reuelentur personae a quibus talis noticia accepta est.

XIII.

*Satis sit
genus moris
inm.*

Quod autem minor notitia, aut quaelibet alia suspicio non sufficiat, satis ostensum est ex ipsa forma vouendi, per quam declarandum est aliud verbum constitutionum, si animaduertunt. Quod etiam in rigore significat satis certam cognitionem. Alio vero in loco constitutionum, quamuis supponatur aliquando, posse negotium hoc de aliqua persona

tractari, propter solam suspitionem, eamque non inueniri probabilem post exactam rei examinationem; non tamen asseritur, cum sola illa suspicione obligare votum ad huiusmodi manifestationem. Nec denique satis est, quod illa possit esse utilis; quia ad voti obligationem oportet inspicere materiam eius; neque oportet voueri manifestationem pro omni euentu, in quo potest esse utilis, satis enim fuit providere casibus certis, & moraliter necessarijs. Quocirca, licet in casu solius suspitionis, vel opinionis non satis certa, obligatio huius voti non cogatur, nihilominus saepe poterit manifestatio esse licita, si pure & simpliciter fiat in eo gradu in quo voluntas opinio non satis certa, obligatio huius voti non cogatur, nihilominus saepe poterit manifestatio esse licita, si pure & simpliciter fiat in eo gradu in quo voluntas

Secundò dubitari potest an hoc votum obliget denunciare delictum, quod praeteritum est, & in futurum omnino non pendet: ut v.g. si nulli constet aliquem professum aliquando ambuisse prelationem, iam verò omnino cessasse, ut non sit morale periculum reincidenti, an teneat nihilominus illius delictum Generali manifestare, siue ille consequutus fuerit dignitatem, quam ambiebat, siue non; hoc enim ad praesentem obligationem nihil refert videtur, cum effectus consequutus non augeat, nec minuat delictum. Pars ergo affirmans suaderi potest, quia haec manifestatio non ordinatur praecipue ad emendationem priuatae personae, sed ad commune bonum Societatis, & illa omnino impeditur hoc ambitionis genus, ad quod valde necessarium esse potest, etiam in eo casu rem manifestare.

Nihilominus dicendum censo in eo casu votum non obligare. Probatur: nam verba voti haec sunt: Si quem sciam aliquod praedictorum duorum curare, vel praetendere, scilicet de praesenti: non verò dicit, curasse, aut praetendisse, quod longe diuersum est: nec obligatio rigorosa est ultra verborum exigentiam extendenda. Atque idem probant verba constitutionum 10. p. §. 6. & quos agere animaduertunt delictos, & verb. Gregorij XIII. Si quem sciam aliquod huiusmodi moliri. Declaratur praeterea, nam ubi B. Ignatius voluit hanc obligationem ad praeteritum actum extendere, id expressit, cum ergo id non expresserit, signum est noluisse. Antecedens patet ex l. p. constit. cap. 6. §. 2. ubi pro eo tempore quo Societas congregata est ad eligendum Generalem, omnibus electoribus praecipitur imponitur; Vnusquisque sub pena excommunicationis lata sententiae, teneatur Vt scito manifestare, vel alium ex antiquioribus professis, qui cum Vt scito conferat, si sciat aliquem hoc munus affectu asse, vel etiam tunc affectare directe, aut indirecte id procurando, vel signo aliquo id declarando. Quod praecipitur peculiare est, & distinctum ab obligatione voti, & non habens locum in alijs dignitatibus, vel praelationibus, sed solum in Generalatu, propter rei grauitatem, & idcirco specialiter extenditur ad praeteritum tempus, quia ibi etiam consideratur dignitas eligendorum, & fidelitas eligentium, & vtriusque existimatio valde minuitur ex tali delicto etiam si praeteritum sit ergo ab eo casu, ut ab speciali, optimum funderetur argumentum ad negandam extensionem illam in generali obligatione in qua non exprimitur.

Eo vel maxime quod etiam in illo praecipito, illud praeteritum, affectu asse, non est extendendum ad totum tempus vitae praeteritae, sed ab obitu Generalis, usque ad tempus electionis, ut videtur declaratum à quarta congregatione generali in formula praenotata generalis congregationis §. 21. ubi etiam declaratur, praecipitur illud, non tantum obligare respectu eorum, qui ad electionem congregati sunt, sed respectu omnium de Societate, quicumque, & vtrumque sint, qui ab obitu P. Generalis, ad electionem usque, pro se, aut pro alio

pro aliis ambierint, quia nimirum de omnibus potest fieri electio, & omnes possunt electionem perturbare; præceptum autem manifestandi licet ibi non videatur imponi omnibus de Societate, sed solum ad electionem congregatis, nam ad illos tantum loquitur dicta constitutio; tamen in formula congregationis generalis §. 82. extenditur præceptum sanctæ obedientiæ ad omnes, qui sciuerint similem ambitionem, siue sint ex numero congregatorum, siue non; ibi verò non agitur quidem de electione Generalis, sed assensuum, tamen ob identitatem rationis potest inde sumi argumentum, vel interpretatio prioris præcepti, quamuis in materia odiosa. Prædicto autem modo merito fit illa extensio ad præteritum, quia quamvis fortè ambitio cessauerit, effectus eius moraliter durare censetur, ob temporis breuitatem: imò vix potest moraliter præsumi emendatio: at verò in materia huius voti nulla est limitatio, vel designatio præteriti temporis, & ideo in illa non fit hæc exceptio, aliàs quantumvis lapsus aliquis finitus iam esset, emendatus ac sopitus, excitandus esset propter obligationem huius voti: quod nec charitati consentaneum est, nec Societati necessarium, aut vile.

XVII. Vnde ad rationem in contrarium respondetur in primis, ut supra dixi in num. 13. ad obligationem voti, non quamcunque utilitatem esse spectandam, sed materiam, & verba quibus fit votum. Deinde licet ex tali manifestatione sperari possit illa generalis utilitas, quod debita non maneat impunita: tamen nō est hæc, quæ præcipue per hoc votum intenditur, sed præcludere aditum ad querendam, vel obtinendam dignitatem per ambitionem: ad hunc autem finem satis est ambitio, quæ aliquo modo durat, impedire. Vt autem ambitio finita cessatur, non satis est mutasse voluntatem, vel egisse penitentiam prioris delicti: nec cum effectu cessasse nouam sollicitudinem, & negotiationem ad dignitatem obtinendam, sed necesse est præteritum factum ita retractari, seu impediri, ut effectum non habeat, id est, ut ex vi negotiationis factæ, dignitas non obtineatur, alioqui, & finis primarius voti perseuerat, & materia etiam durare virtualiter censetur. Et ad confirmandam totam hanc doctrinam facit, quod communiter Doctores tradunt circa præcepta Superiorum inquirentium delicta in generali ad ea emendanda, vel impedienda, excusant enim subditos ab onere talium præceptorum, quando delictum omnino cessauit, & nullum nouum periculum omnino timetur, ut videre licet in Nauarro, cap. Inter verba, concl. 6. coroll. 66. Soto lib. 5. de iustit. p. 5. artic. 1. ver. Et hic sumenda est regula. Cordub. in summ. q. 64. qui alios refert.

XVIII. Tercium dubium est, an hoc votum obliget quādo delictum alterius occultum est: & ratio dubitandi esse potest, quia hoc votum absolute fit. In contrarium autem est, quia manifestare occultum delictum fratris, videtur intrinsece malum, quia Ecclesia non iudicat de occultis: denuntiatio autem, quæ fit Ecclesiæ, vel pastoribus eius, ordinatur ad aliquod Ecclesiæ iudicium: ergo si fiat de re occulta, est prorsus inutilis ad hunc finem: ergo si fiat, erit pura detractio, & consequenter intrinsece mala. Vnde de inquisitionibus generalibus est communis resolutio, neminem teneri ad denuntiandū, quod probare non potest. Angelus verb. denuntiatio, num. 13. Syluest. q. 4. num. 5. verb. excommunicatio, 2. dub. 8. num. 18. qui tamen hoc limitat ad denuntiationem publicam cum Rosella eodem verb. nu. 16. talis autem esse videtur manifestatio, de qua hic agimus & idem sentiunt plures alij, quos refert & sequitur Corduba paulo antè citatus, & lib. 1. questionarij quæst. 43. & plura de hac materia infra videbimus lib. 10. per varia capita, explicando quam Franc. Suar. de statu relig. Tom. I V.

dam regulam Societatis: & quia ex illa generali materia hæc specialis pendet: ideo in præsentī breuiter hoc dubium expedimus.

Primò ergo vulgaris distinctio præmittenda est, de delicto publico, vel occulto, in vtroque n. membro varij sunt gradus, ut tangitur in cap. vestra, de cohabit. cleric. & mulier. & a Doctoribus ibi: tamen ad rem præsentem explicandam distinctius possunt ita proponi: quoddam enim delictum est ita occultum ut sub secreto confessionis sciatur: & hoc in quæstionem non venit, quia semper intelligitur exceptum, vel potius illud non reputatur scitum. Aliud est ita occultum, ut per solum secretam consultationem ordinatam ad bonum, & remedium animæ delinquentis sciatur. Tertiò est occultum, quod sub cōmuni naturali secreto scitur per solum relationem, seu narrationem ipsiusmet delinquentis, vel alterius. Quartò est occultum, quod vnus nouit per certam scientiam, seu visionem, à nullo autem alio scitur. Quintò quod vnicus tantum testimonio, præter ipsum denūciantem probari potest. Sextò quod est sufficienter probabile per duos, vel tres testes, quauis de illo nulla sit infamia, vel maior notitia, & hic gradus participare incipit aliquid de publico: quamuis absolute tale delictū, non censetur publicum à Theologis, nec Iuristis, sed proprio nomine dicatur probabile, ut videre licet in Caietano, & alijs 22. q. 33. art. 7. Nauarro in Summa cap. 27. nu. 255. Adriano in 4. materia de correctione fraterna, & alijs citatis & citandis.

Publicum ergo propriè dicitur, quod ab aliqua communitate, vicinia, aut familia scitur, vel saltem à maiore parte eius; oportet tamen, ut familia sit saltem decem personarum, iuxta frequentius arbitrium Doctorum, quos citauimus: vnde saltem necesse est ut à sex, vel septem personis sciatur: & hoc credo in præsentī sufficere, etiam si non sit ille numerus maior pars communitatis. Quis enim dicat tantum esse publicum hoc delictum ambitionis, de quo agimus: quando scitur in maiori parte totius Societatis, vel totius domus; in quo sunt centum, vel plures personæ, vel totius congregationis generalis constantis etiam magno numero personarū? Satis ergo est quod à pluribus certò sciatur; numerus autem dehniri non potest, nisi prudenti arbitrio: sex autem, aut septem videtur sanè numerus sufficiens, saltem ad minimum gradum publici facti. Nam aliud dicitur notorium, quod frequentior requirit notitiam: aliud dici potest famosum, quod præter certam notitiam plurium, addit infamiam inde ortam. Præter hæc verò dici etiam potest famosum, vel etiam laborare infamia delictū, quod à multis scitur per relationem tantum, ab vno tamen oculari teste manantem. Deniq; aliquando est infamia de delicto, cuius origo ignoratur, solumq; de publico rumore constat.

Ad dubium ergo propositū respondeo in primis, quocunq; ex dictis nuper modis, delictum sit publicum, vel etiam sufficienter probabile, votum hoc obligare ad eius manifestationem. Quod est certū, quia tunc manifestatio licita est, siue fiat per denūciationem secretam, & paternam, siue iudicalem, estque utilis ad finem voti, & comprehensa sub verbis eius. Solum potest esse difficultas, an vltimus modus infamiæ sufficiat ad denuntiationē iudicalem, de qua dicam statim. Adde ergo etiam quando delictum est semiprobabile, i. e. ab vno fide digno teste sufficienter notum (qui erat quintus modus in num. 19. positus) obligare votum, quia etiam tunc potest licite fieri, saltem per secretam, & paternam denuntiationem, ut ex dicendis à fortiori patebit. Quin potius credo etiā tunc posse fieri iudicalem denuntiationē, ita ut denuncians nō se obliget ad integrā probationem, sed solum ad manifestandum

XIX.

Præteritum delictum manifestandi gradum.

XX.

Gradus publici delicti.

XXI.

Præsumptum delictum quando denuntiatio iudicalem.

XXII.

Præsumptum delictum.

Ccc

quod

quod scit. Nam materia est pertinet ad commune bonum, cui preferendum non est priuatum incommodum, & ille modus denuntiationis potest esse valde utilis ad illum finem, quia deseruiet, ut superior possit legitime interrogare testem, & ut post illius testimonium, possit iuramento, vel alio conuenienti modo cogere reum ad veritatem dicendam: imò addit Nauar. dicto cap. *Inter verba*, nu. 381. (ubi hanc sententiam tenet) quod ipsemet denunciator potest esse testis simul cum alio, ad probandum delictum via denuntiationis, ad effectum iniungendi poenitentiam, & emendandi peccatum.

XXII.
3. *prohunc-
elatum.*

Expeditur
ratio utrin-
que dubia.
di in nu. 18.

Extra hos vero casus, in omnibus aliis modis occulti delicti, non potest quis etiam occasione huius voti, procedere ad denuntiationem iudicalem; quia talis denuntiatio per se non est rationi consentanea, quod intendunt auctores in ratione dubitandi nu. 18. allegati, & probat ratio ibidem facta. Atque eodem modo dicebamus supra nu. 12. quoties laborat infamia delinquens, etiam si non constet, an ex aliqua scientia orta sit, posse deferri ad superiorem, ut in eo delicto iudicialiter procedat, eo modo, quo licite potest, dummodo saltem ipsa infamia sufficienter probari possit: quia id satis est, ut possit superior postea iuste inquirere, & conuenientia remedia adhibere.

XXIII.
4. *prohunc-
tum attingit
ad denun-
tiationem
paternam.
Sumitur ex
nubibus.*

At verò de secreta, seu paterna denuntiatione distinguendum est; nam licet delictum sit occultum quarto modo posito in num. 19. id est, soli eidem personæ per certam experientiam, seu visionem cognitum: nihilominus per se loquendo potest delictum secretum manifestari Praeposito Generali. Ita sumitur ex Couarruua lib. 1. variarum cap. 11. nu. 6. & 7. Adriano quodlib. 11. liter. R. Soto relect. de legendo secreto memb. 2. q. 4. concl. 2. Nauarro in manuali, cap. 18. num. 61. & cap. *Inter verba*, conclus. 6. & aliis Doctoribus, dicentibus hunc modum denuntiationis esse licitum, quando ordinatur ad vitandum aliquod damnum graue, vel communitatis, vel alicuius tertiæ personæ. In presenti enim non agitur præcipue de vindicando ambitionis delicto, sed de impediendo communi nocumeto religionis, quod esset maximum, si dignitates per ambitionem obtinerentur, vel si hoc vitium paulatim in hac religione introduceretur; quod facile timeri posset, propter propensionem magnam hominum ad huiusmodi vitium, & plures occasiones eius, quæ in hac religione esse possunt, cui tale vitium maximam perniciem afferret. Vnde Soto dicta quæst. 4. de secreto dub. 1. post 3. conclus. inter peccata, quæ per se vergunt in perniciem publicam, ponit ambitionem, & subornationem suffragiorum in cathedris, & in aliis electionibus: quod non sine multorum scandalo experientia satis docet. Hinc ergo concluditur ratio assertionis, quæ generalis est, quia bonum commune præfertur priuato, & è conuerso nonnullum nocumentum priuæ personæ, & præsertim nocetis permittendum est, vel contemnendum propter vitandum maius damnum, vel communitatis, vel alicuius innocentis. In presenti autem damnum proueniens ambizioso ex manifestatione peccati eius occulti, parui momenti est comparatione nocummenti, quod ex eius vitio religioni potest prouenire. Imò etiam respectu eiusdem religiosi, potest in maius bonum redundare: nam damnum solum est parua quædam infamia apud superiorem, commodum autem est ut vitetur spirituale eius damnum, & periculum: ergo.

XXIV.
Obiectio bi-
parita.

Dices, licet hic finis bonus sit, medium tamen non est proportionatum, quia si delictum est occultum, etiam si reueletur superiori, nullum potest medium adhibere: quia nec potest interrogare reum; nec si interroget ille tenebitur confiteri delictum, quia non iuridice interrogatur: quod si neget, illi potius

est fides adhibenda, præsumitur enim innocens, qui non probatur nocens. Neque etiam potest de tali delicto inquirere in particulari, quia esset iniuriare talem personam. Denique datur alius occasio facta denunciandi, si possint occulta dicere, quæ probare non possunt. Respondeo ad priorem partem, quamuis illud medium non sit omnino efficax, non tamen esse inutile, & in ea opportunitate esse vnicum, & maximum remedium, quod adhiberi potest, & ideo pro capacitate materiæ esse satis proportionatum, & in tanto periculo, communis boni, non esse omittendum. Nam in primis sepe contingit, ut quod vnus scit, putans rem esse occultam, & sibi soli notam, alius eodem modo idem scire, vel eadem via, aut alia simili: & tunc si vterque recurrat ad superiorem, erunt duo testes, qui licet fortasse contestes non sint, & ad ordinariam penam non sufficiant, multum tamen conferre poterunt ad remedium adhibendum, præsertim in causa pertinet ad bonum commune, ut constat in hæretici, proditoris, &c. Deinde etiam vnus solus secretum denunciet, deseruiet, ut superior attentius inuigilet, & obseruet personam & actiones eius, & omnia indicia, vel circumstantias, quæ veritatem indicare valeant. Potest etiam generalem aliquam inquisitionem facere, nullam suspicionem de tali persona ostendendo, sed solum de ipso delicto, aut de possibilitate eius, ex officio procedendo, ut ita intelligat, an aliquis rumor de tali persona sparsus sit; & ita iuxta comparatam cognitionem prudenti arbitrio poterit remedium adhibere, etiam si non puniat peccatum. Quod in Societate facilius est Praeposito Generali, quia ad ipsum pertinet distributio omnium dignitatum, seu prælationum eius, & ipse etiam debet præbere consensum, ut extra illam acceptetur: quod si agatur de ambitione Generalatus, ad Vicarium Generalem pertinet huiusmodi cura, & prouidentia. Nam in eo casu tam occultis criminis, satis esse videtur rem illi manifestare: nam per hoc satis impletur votum manifestandi Societati, vel Praeposito eius. Vicarius autem non communicabit cum aliis tribus antiquioribus professis in constitutionibus designatis, donec prudenter iudicet, an res sit in eo statu, ut possit in iudicium deduci, vel nisi eorum consilio, & industria indigeat ad remedium adhibendum.

Ad aliud autem inconueniens de periculo falsi testimonij, respondetur, in primis hoc non esse morale periculum, nec præsumendum in personis religiosiis. Deinde exigi potest iuramentum, quando fuerit aliqua talis suspicio, obseruanda: etiam sunt alie circumstantiæ, & indicia, quæ moraliter non defunt, quando tam inordinatus est animus, & affectus denunciantis, ut falsum testimonium in re tam graui alteri imponat. Denique hæc manifestatio, non ad hoc ordinatur, ut statim adhibeatur fides vni denuncianti, sine alio examine, vel consideratione. Sed ut inde sumi possit initium, & via intelligendi certiùs veritatem, & adhibendi aliquod remedium. Aliquando verò tanta posset, esse auctoritas vnus loquentis propter vitæ integritatem, & prudentiæ existimationem, ut si rem affereret, tantum sibi certa experientia notam, fides illi esset adhibenda, non quidem ad puniendum delictum, sed ad eius affectum & progressum impediendum, ut supra argumeto capit. *super eo*, secundo de testibus, iuxta illud quod textum vnus testis veridicus facit ad maiorem credendum licet non ad puniendum.

Ex quibus inferitur idem esse dicendum in tertio casu in num. 19. posito, quando res non solum occulta est, sed etiam sub secreto naturali recepta: tunc enim non obligat naturale secretum ad seruandum illud, non obstante fide, seu promissione data: quia semper subintelligitur conditio, nisi tale secretum

in detrimentum communis boni cedat, nam tunc obligatio esset iniqua, & contra ipsum naturale ius: in presenti autem materia tale secretum vergeret in magnum Societatis detrimentum, vt in num. 11. & 12. ostensum est, & ideo non obstante tali secreto, licitum est ambitionem Præposito manifestare: quod si est licitum, etiam cadit sub obligationem huius voti, quia continetur sub verbis eius, vt constat ex interpretatione superius in nu. 2. data; suppono enim cognitionem sub illo secreto acceptam esse sufficienter certam moraliter, modo superius in numero illo 19. explicato: nam illo posito nihil deest ad materiam & obligationem huius voti.

Virum professus Societatis ex vi voti teneatur denuntiare ambitionem, quam aliter secreto, & gratia tantum salutaris consilij postulandi illi manifestauit.

XXVII. Solū ergo superest difficultas circa secundum modum occulti, in quo adiungitur secretum consultationis ordinatæ ad remedium animæ. Quibusdam enim videtur, etiam in eo casu obligare hoc votum, quia peccatum occultum, quod vergit in corruptionem communitatis, reuelandum est superiori secreto, & vt patri, non obstante quocunque secreto, extra confessionem. Sub hac enim generalitate loquitur diuus Thomas 2.2. quæst. 70. articulo primo ad secundum, & eodem modo loquitur Soto libro quinto de Iustitia, quæst. 7. articulo primo ad primum, & de Tegendo secreto memb. 2. quæst. 7. proximè ante 4. conclus. Caietanus etiam, cum aliis modernis expositores ibi. At verò præsens delictum, de quo agimus, vergit in commune detrimentum religionis, vt nu. 23. ostensum est: ergo non obstante illo secreto, licet reuelatur, & consequenter obligabit hoc votum. In contrarium verò est, quia multi graues auctores negant delictum esse reuelandum, quod per solam consultationem secretam cognitum est. Nauarr. in Summ. cap. 25. n. 46. & latè in dict. c. inter verba, coroll. 6. præsertim à num. 401. Cord. lib. 1. q. 43. dub. 2. casu 3. Sed hi indifferenter loquuntur de consultatione, quæ fit ad remedium annonæ, vel corporis, vel rei familiaris, qualis fieri solet cum Aduocato, Medico, & similibus, & ideo etiam Corduba, & Nauarrus posteriori loco, adhibent exceptionem, Nisi reuelatio sit necessaria ad vitandum maius malum Reipublice, vel innocentie, vt vulgare est de crimine hæresis, sicut tractauit disp. 20. de fide. lect. 4. prodictione, & aliis.

XXVIII. Inuenio vnicum Dominicum Bânes qui 22. dist. q. 70. art. 1. dub. 4. ad 6. in specie dixit Theologum si consultatur in ordine ad sacramentum Pœnitentiæ in nullo casu posse reuelare, & loquitur apertè de consultatione distincta à propria confessione sacramentali, quæ nullo modo est pars eius, licet ad illam vt ad finem extrinsecum ordinetur, & ideo non inducit proprium sigillum eius, sed infra illud tam magnum secretum, vt propter nullam causam illud reuelare liceat, quod tamè ab ipso nulla auctoritate, vel ratione probatur. Potuit autem in hoc fundari, quod per illam extrinsecam relationem participat talis consultatio religionem Sacramenti; ergo etiam participat secretum eius, ita vt sacrū & religiosum dici valeat: ergo nulla ratione violandum est. Et confirmatur, quia aliàs magna ex parte præcluderetur via ad confessionem liberè faciendam, si non posset homo liberè, & sine timore reuelationis consultare, quod necessarium sibi esset, ad confessionem faciendam. Sed hæ rationes non cogunt, nam illa relatio est merè extrinseca, solum ex intentione operantis, & ideo non addit actui externo obligationem aliquam, vel potius efficaciam, ad illam inducendam, quemadmodum etiam attitit Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

gi in tomo de pœnit. disp. 33. sect. 4. num. 6. Neip etiam impeditur libera confessio, quia intra illam, potest fieri sufficiens consultatio cum confessore, vel si ille non sit sufficienter doctus, per illum sub eodem sigillo, poterit consuli doctior; & tunc verum est Theologum, qui consultatur, in nullo casu posse reuelare secretum, quia re vera participat sigillum confessionis; nam recipit notitiam illam cum onere suo. Quod si fortasse nolit sub tanto sigillo illam audire, malè faciet; quia confessor non potest aliter eam communicare.

Quocirca loquendo de consultatione in ordine ad confessionem, quam facit homo omnino extra confessionem, vt se ad illam præparet, vel vt rectè possit disponere de rebus suis, sic non censeo esse in illa maiorem secreti obligationem, quàm esset ex natura rei in simili consultatione facta in ordine ad contritionem, vel satisfactionem propriæ conscientie, etiam si non esset sacramentalis confessio instituta, prout contingere posset in statu legis naturæ, aut veteris: quia nec cum institutione huius sacramenti additum est speciale præceptum posituum talis secreti, pro illa consultatione, vbi enim ostenditur neque ex natura rei sequitur, vt responsio in n. præcedenti data ostendit. Nihilominus tamen ex ipsa rei natura etiam secluso Sacramento censeo illud secretum esse grauissimum, ita vt licet non obliget in omni prorsus casu, & sine vlla exceptione, sicut sigillum confessionis, rarissimè tamè, & non nisi propter vitandum maximum commune malum violari possit. Ratio est, quia hoc remedium consultationis secretæ, ex natura rei est maxime necessarium ad bonum animarum, quod bonum maioris momenti est, quàm alia temporalia, & ideo ad maximum bonum humani generis spectat, vt hoc remedium conseruetur, & non fiat vel inutile, vel nimium onerosum. Potest etiam cum aliqua proportionem hic applicari ratio, quæ de sigillo confessionis fieri solet: necessarium enim fuit, vt confessio, quæ medium etiam est ad salutem necessarium, inutilis, aut onerosa non haberet: sic ergo nec consultatio ad remedium conscientie ordinata, quæ suo modo est hominibus necessaria ad bonum animæ, inutilis, aut onerosa fiat, magnam secreti obligationem secum asserre necesse est, quanuis non in eo gradu, vt sit cum sigillo confessionis comparanda; quia nec res ita sacra est, nec ita necessaria. Et ideo dixi paulo antè, licet hoc secretum non obliget semper, & sine vlla exceptione, sicut sigillum confessionis non tamen posse violari, nisi grauissima communis causa intercedat. Vt autem causa prudenter iudicetur sufficiens, non solum ponderandum est incommodum particulare, quod inde accidere potest illi personæ cuius secretum reuelatur, sed etiam hoc generale, quod illud consultationis remedium multum enervatur, & fit odiosum per talem reuelationem.

Ex hacigitur doctrina, quam verissimam existimo, & bonis moribus necessariam, infero in præfenti quæstione, non obligare hoc votum, quando res tantū scitur sub hac consultatione secreta, quia non existimo esse tunc licitam talem reuelationem. Nam licet ambitio sit ex peccatis, quæ vergunt in detrimentum communitatis, maius censeo esse nocumētum, quod ipsi etiam religioni provenire potest ex facilitate reuelandi tale secretum; vix enim vllus auderet suæ conscientie providere per talem consultationem, quod maximum bonum est, similem enim ob finem, ne scilicet religiosi nostri terreantur à manifestanda superiorib. conscientia, vt lib. 10. cap. 6. tractabitur, districte præcipitur inisdem superioribus, vt secreti illius naturalis fidem omnino seruent. Et, quod caput est, nuper in 6. Congreg. generali can. 12. statuitur, quod de manifestandis su-

XXIX.

Resoluitur prædictum modum occulti non posse conservari cum sigillo.

Esse tamen grauissimū secretum.

Eius grauissimæ ratio.

Confirmatio proportionis.

XXX.

6. Pronunt. ob dictam grauissimam secreti illius reuelare delictum contra hoc votum.

periori aliorum defectibus in regula habetur; intelligi de illis defectibus, quæ ab aliquo alio notata, & observata fuerint; non autem de iis, quæ ipsimet secreto, & consilio petendi gratia, ut dirigantur vel inveniunt, alteri communicaverint. Unde quod sic scitur, dici potest moraliter nec sciri; & hoc etiam titulo, non comprehendit sub materia huius voti. Accedit quod si attentè res consideretur, maius commodum inde provenire potest ad ambitiones etiam impediendas: quia ipsi quoque ambiciosi maiori cum fiducia consulunt viros doctos, ac religiosos, à quibus poterunt saltem consilio iuvare: si autem sciant esse revelandos non consulunt; & ita nec consilium, nec revelatio locum habebunt. Vnum verò addo consideratione dignum, oportere, ut consultatio vera sit, & non ficta, id est, quod fiat animo intelligendi veritatem, ad cavendum peccatum, vel ob alium finem bonum; nam si quis specie tantum consultationis utatur, vel ad inducendum alium ad malum, vel ad explorandum animum eius, vel quid simile, profectò talis consultatio non est digna secreto, & ideo ea non obstante obligabit hoc votum, eo modo quo de aliis casibus occultis diximus.

¶trum ante denuntiationem dicte ambitionis præmittenda sit secreta monitio?

XXXI.

Quæstio.
4. circa ultimum
3 punctum.

Duplex sententia
superioris.
lucio prioris.

Ultimò inquiri hic potest, an in illis casibus, in quibus manifestari potest superiori hoc crimen, etiam si secretum sit, possit, vel debeat secreta admonitio præcedere: quando enim delictum est publicum, certa res est, non esse necessarium, quia potest statim procedi ad denuntiationem iudicalem, iuxta doctrinam communem 2.2. quæst. 33. art. 7. ubi Caiet. circa ad tertium, & Soto lib. 5. de Iustitia, quæst. 5. art. 1. In occultis autem videtur semper præmittenda admonitio, iuxta ordinem Evangelicum Matth. 18. & cap. qualiter & quando, de accusatione. Sed de hoc infra lib. 10. cap. 9. & 13. explicando generales regulas, latius dicemus. Nunc solum aduerto, duplicem hic esse posse quæstionem: una est, an habens hoc votum, possit hanc admonitionem præmittere: alia est, an teneatur. Ad priorem dicendum est, id per se non esse contra votum, quia votum non fuit de manifestatione faciendâ, nulla admonitione præmissa. Dices admonitio eo tendit, ut manifestatio non fiat, si delinquens emendetur, & ex hac parte esse contra votum, quia tendit ad impediendum actum eius, Respondeo primò antecedens non esse necessarium, quia potest illa admonitio fieri ut sciat delinquens suum delictum esse manifestandum superiori & ita disponatur ad emendationem, & correctionem superioris. Deinde dicitur illam intentionem debito modo conceptam non esse malam, nam vel per admonitionem obtinetur effectus intentus perfectæ emendationis, & impeditiois totius ambitionis, omnique effectus eius, vel non: si non, procedendum est ad manifestationem, si que non impeditur votum; & hoc retineri debuit in proposito cum admonitio fiebat: si autem emendatio perfectæ obtemperat, cessare poterit admonitio, nec fiet contra votum, quia eius materia cessavit, eò quod illud delictum iam sit quasi omnino præteritum; quod non cadit sub hoc votum, ut supra num. 15. diximus. Neque est contra votum expectare aliquam mutationem materiæ, qua facta cesset obligatio eius; quia & obligatio illa affirmativa est, nec ita obligat pro statim, quin aliquam commodam occasionem expectare liceat, & ratio expectandi, vel etiam desiderandi talem mutationem potest esse honesta, & ad charitatem pertinens, ut in præfenti facile considerari potest.

XXXII. Ad aliam quæstionem responderetur, non esse ob-

ligationem promittendi in hoc casu admonitionem, quod est manifestum, quoad voti obligationem, quia in voto nihil agitur de hoc ordine servando. Solum ergo potest dubitari de lege correctionis fraternæ, seu charitatis: hic autem non habet locum obligatio, seu ordo correctionis fraternæ per se loquendo; quia hæc manifestatio, licet sit secreta, & non ordinatur per se ad punitionem delicti, in quo conveniet cum correctione fraterna; re tamen vera, non est correctio fraterna, nec pertinet ad præceptum illius, quia non ordinatur per se ad priuatum bonum fratris, qui est proprius finis correctionis fraternæ, iuxta illud, si re audierit, iuratus eris fratrem tuum; sed ordinatur ad commune bonum, & impediendum commune detrimentum religionis ex assumptione sui subditi ad praelaturam, etiam si ipse alias in ea procuranda non peccasset, & ideo non regulatur per se talis manifestatio per generalem legem, seu regulam correctionis fraternæ; unde communis sententia Doctorum est in peccatis, quæ per se vergunt in damnum communis, non esse necessarium, per se loquendo, hunc ordinem servare, ut viderelicet in Soto dict. relect. membr. 2. quæst. 4. concl. 7. & Corduba dict. q. 43. lib. 1. & quæst. 64. Summæ, & alii, quos infra lib. 10. in proprio loco referemus. Vide etiam, si placet, 36. Motum proprium Pij V. contra offendentes Cardinales, ubi delictum illud, quantumvis occultum, statim manifestari præcipit sub excommunicatione lata sententia.

Dices, esto hoc non pertineat ad præceptum correctionis fraternæ, sed ad præceptum subueniendi communicati periclitati, nihilominus charitas fraternæ semper obligat, ut hæc subuentio fiat cum minimo damno ipsius, quoad fieri possit: ergo si potest subueniri per monitionem secretam, famam proximi seruando, non est delictum eius statim manifestandum: ergo charitas obligat ad præmittendam huiusmodi monitionem. Respondeo, ideo semper dixisse, per se loquendo, quia in his rebus moralibus vix potest dari regula generalis, quæ non patitur exceptionem. Dicimus ergo, ubi per se primò agitur de communi bono, & de firmo, ac securo remedio illius, & ubi tantum periculum imminet, quantum est in huiusmodi peccatis, monitionem priuatam non esse remedium proportionatum, quia moraliter non potest reputari sufficiens, sed necessaria est providentia eius, ad quem ex officio pertinet, communi bono prospicere, & ideo per se, ac moraliter loquendo, necessarium non est illud medium intentare, per hoc tamen non tollitur, quin in aliquo casu raro tanta possit esse spes fructus, & sufficientis remedij per admonitionem secretam, ut charitas obliget ad præmittendam illam: sed hoc in casu ambitionis, tam rarum esse existimo, ac difficile, ut non censeam esse casum morale, & ideo eo absolute dici potest, non esse talem obligationem. Imò etiam addo non solum licere, sed etiam melius esse statim ad re superiorem in huiusmodi eventum, quia comparatione boni communis illud detrimentum fratris, quali nihil exilimatur. Porro quoniam & quales focos, adhibere debeat superior ad iudicandum de ambitu delati, ex S. p. constit. cap. 6. lit. A. & ex decreto 49. congregat. 4. intelligi potest.

CAPVT XI.

Cur hæc vota simplicia sint, & non solennia.

Supponitur in hoc titulo vota hæc simplicia esse, & non solennia: quod iuxta institutum Societatis simpliciter.